

Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

62. Circa mortis articulum salvari petit à Christo in Cruce, ut à Fonte
pietatis crimina abluente, Augustinus Canus, Indus Occid.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](#)

ausi sunt à Deo per ejus intercessio-
nem, verum dolorem de suis commissis
poscere, & precum ea vis fuit, ut inusi-
tarâ lachrymarum copiâ, cum magno
animi sensu perfunderentur. Obiit tan-
dem, ut exoptarat, in Collegio Calif-
sensi die xxii. Octobr. Anno M. DC.
XXXIV. ætatis **XLVI.** ab susceptâ vitâ reli-
giosâ **XXVII.**

Litt. Polon. Elog. Vit. B. S.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

*Circa mortis articulum salvare petit à
Christo in Cruce, ut à Fonte pie-
tatis crimina abluite.*

62.

AUGVSTI-
NVS CANVS
Indus Pe-
xuanus.

AUGVSTINVS CANVS natus Mexici
splendidissimâ familiâ, ut Societa-
tem est ingressus, statim ad omnem vir-
tutis formam, tenore æquabili se ac-
commodavit, ut consuetis domesticæ
disciplinæ officiis quondam jam tum
splendorem, & lucem suâ actione ad-
deret. Orationi multum nocturni tem-
poris, diurni, quantum poterat, pro-
cumbens in templo tribuebat. DEVN
perpetuâ tanquam contemplatione u-
bique præsentem habebat. Corpus at-
terebat cilicio, & verberatione, iisque
præsidiis

CVLTRIX CRVCIFIXI. 105

præsidiis tam illibatam perpetuò servavit castimoniam, ut nulla adversus eam cogitatione fuisse illum unquam tentatum adfirment ii, quibus id erat exploratissimum.

In extremo morbo insolitis animæ deliciis visus est affluere. Illato in cubiculum sacro Viatico, exultavit animo ad Domini sui conspectum, & repetitâ bis confessione, veniam erratorum à præsentibus postulavit. Ad preces consuetas eo tempore adhiberi, præsente animo respondit. CRVCIFIXVM intuitus, alloquutusque non semel est illis verbis:

*Rex tremenda majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me FONS PIETATIS.*

PLAGAS CRVCIFIXI, & Iconem DEIPARÆ dissuaviatus, Tutelarium Sanctorum, quos in libello descripsérat, curavit sibi nomina prælegi, & eorum patrocinia invocari. Interrogatus, vellecne D E V M sequi, nempè, hinc evocantem: Dominus est, dixit, quod bonum est in oculis suis hoc faciat. Denique sacro delibutus oleo placidissimè expiravit, in Vallisoletano Americæ Collegio, quod ipse tunc Rector administrabat. Hæsit mortuo velut risus in ore, & venustissima species vivido colore distincta.

Epist. Ind. Occid. Coll. M. ex Eleg. Vit. B.S.